

Decif. Aurcarum Pars II. Lib. I.

- 7 Annus incœptus habetur pro completo in multis casibus.
 - 8 De ætate ordinandi si dubietur, qualiter probabitur.
 - 9 Dispensatio ut in xx. anno quis sit sacerdos, non extenditur ut possit obvinere Ecclesiam curatam.
 - 10 Aetatis defectus non impedit ut character imprimatur.
 - 11 Aetas quæ necessaria ad susceptionem primæ tonsuræ, & ordinum minorum.
 - 12 Coactus ad ordinis susceptionem, an, & quando suscipiat characterem.
 - 13 Illiteratus an ad ordines promoveri possit, & num. 15.
 - 14 De ordinis sacramento quædam sunt de necessitate, quædam de præcepto.
 - 16 Dispensatio an cadat super ignorantiam sacerdotis.
 - 17 Recipiens ordinem sciens se esse ignarum, an peccet.
 - 18 Illiteratus promoti in Episcopum poena est depositionis.
 - 19 Scientia quæ necessaria in promouendis ad ordines.
 - 20 Monachus, qui promouetur ad sacerdotium quam sententiam debeat habere.
 - 21 Poena illiterati ordinati quæ sit.
 - 22 Ordinandi circa morum qualitates quales esse debeant.
 - 23 Ordinandus monogamus, & non bigamus esse debet, & quis is ducatur.
 - 24 Bigamus ordinatus characterem recipit.
 - 25 Ordinandus debet esse sobrius, & sobrietas duplex.
 - 26 Sobrietas quibus personis specialiter conveniat.
 - 27 Sobrietas quare Ecclesia ministris indicatur.
 - 28 Prudentia in ordinando quæ necessaria, & quæ complex.
- Artes liberales septem, & omnes ministris Ecclesie utiles.
- 29 Clerici leges, & philosophiam an possint audire.
 - 30 Ordinandus pudicus, & moribus ornatus esse debet.
 - 31 Ordinandus debet esse hospitalis: quæ triplex est.

- 32 Ordinandus debet habere gratiam in dando, & in quo versetur.
- 33 Ordinandus non sit percussor, qui dupliciter dicitur.
- 34 Ordinandus non sit litigiosus, & quare.
- 35 Non sit cupidus, & cupiditas triplex.
- 36 Non sit Neophytus, & quis Neophytus.
- 37 Neophytus tamen quandoque ordinari potest.
- 38 Clericus secularis non professus in Abbatem eligi non potest.

De suscipientibus sacramentum Ordinis. Cap. XI.

Item nullus ꝑ ordinari debeat, nisi prius examinatus fuerit, ut habetur per text. in cap. nullus ordinetur, dist. 23. & per Concil. Trid. cap. nullus, sess. 23. & cap. Episcopi, ead. dist. non tamen ita rigide examinatio faciendâ est, sed cum quodam temperamento, ut dicit gloss. in cap. quando, dist. 24. Tria autem potissimè requirenda sunt, ætas legitima, literatura sufficiens, & morum honestas. vt extr. de elect. cap. cum in cunctis, & c. ad minores, sess. 23. in Concil. Trident. Ideo de his, & aliis quæ debent esse in ordinandis, more nostro solito aliquas Decisiones statuamus, quarum prima

Sexus fœmineus ꝑ impedit Ordinis susceptionem, ita vt nulla fœmina characterem recipere possit alicuius Ordinis clericalis, nec etiam actum alicuius ordinis exercere, vt 23. dist. cap. sacratas, & cap. fin. notat Archid. & Domi. in cap. presbyter, dist. 32. Abb. in cap. noua, de poen. & remis. vbi dicit, quod si mulier de factò ordinetur, non recipit characterem, secundum communem opinionem. Est etiam fœmina masculo deterior in 18. casibus, qui notantur per Host. in c. dilecti, de arbit. Non potest etiam prædicare, siue publicè docere, 23. dist. c. mulier, 33. q. 5. cap. mulierem. Nec potest iudicare super causis spiritualibus, licet super temporalibus, ubi est consuetudo, susti.